



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Dilectio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

currere excommunicationem Sam. pontifici reservatam, à qua nullus alius, præterquam in mortis articulo, absolvere poterit, nisi fuerit privilegiatus.

DILECTIO.

205. **Q**Uæritur. An præcepto diligendi proximum satisfieri possit per solos actus externos, quin requiratur ipsum diligere actu interno, & formali?

Resp. Negativè, primo quia Christus Dominus *Matth. 22.* post expressum primum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*, subdit alterum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, scilicet dilectione interna, & formali: Præterea *1. Joan. 4.* dicitur hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum, videlicet consimili dilectione: & *Joan. 15.* dicitur: hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ergo sicut Deus dilectione interna diligendus est, ita & proximus: Deum tamen propter se ipsum amare tenemur, & non propter aliud, proximum vero perfectius amamus, si propter Deum diligamus; & ideo ista proximi dilectio spectans ad charitatem infusam sufficit ad implendum secundum præceptum de proximo diligendo: Denique quia ratio ipsa naturalis dicit, proximum actu dilectionis interno prosequendum esse: cum nihil magis necessarium sit ad generis humani conservationem, ad pacem, & justitiam tuendam, tum etiam quia lex naturalis de proximo diligendo, & præceptum hoc novum Christi Domini non imponunt, nisi actum honestum

stum

sum spectantem ad virtutem Charitatis ; ergo non potest huic præcepto satisfieri per actus merè externos, subveniendò illi in oportunitatibus ex motivo v. g. inanis gloriæ, aut ex motivo etiam alterius virtutis, sicut nonnulli docuerunt, quorum opiniones meritò damnantur ab Innoc. XI. eum *propof. X. & XI.* sed requiritur quod diligamus aliquando proximum amore supernaturali, sive ex motivo benevolentia erga ipsum, sive propter amorem Dei, ut *comm. SS. PP. & Theologi docent.*

206. Quæritur. Quando nam fideles teneantur exercere actus dilectionis internos?

Resp. Communius DD. docent, sufficere, quod aliquando hi actus exercean- tur, videlicet, cum necessitas occurrit, exercendi misericordiam, ut vitandi odium, vel periculum vindictæ, & quia est moraliter impossibile, quòd in convictu hominum deficiant huiusmodi occasiones, in quibus necessaria sit proximi dilectio, idè moraliter impossibile est, quòd Christi fideles, qui christianè vivunt, huic præcepto non satisfaciant abundè, quòd si quis animo sit inhumano, advertere ad hanc obligationem debet, & sicut identidem exercere debet actum dilectionis Dei, ita ut non satisfaciat huic præcepto, qui diu caret hoc actu, ut patet ex *prop. 5. 6. & 7. inter damnatas ab Innoc. XI.* ita identidem etiam exercere debet actum dilectionis proximi etiam supernaturalem, v. g. quia ita Christus præcipit, vel quia pro illo sanguinem fudit, vel ut Deum in æternum glorificet &c. ita ut in dilectione proximi, etiam dilectio Dei aliquatenus includatur.

207. Quæritur. An qui tristatur de vita

alicujus, & de illius morte naturali gaudet, illam inefficaci affectu petit, & desiderat, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, peccet mortaliter?

Resp. Affirmativè, ut patet ex decreto Innoc. XI. damnantis prop. 13. & ratio est quia ordo charitatis postulat, quòd vita proximi præferatur emolumento temporali proprio, inò exigit, ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui, quamvis non cum gravi detrimento, ergo charitatis ordo pervertitur si mortem proximi appetamus, aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum, eo quod hisce affectibus nostrum emolumentum præferatur vitæ proximi, quæ est in ordine longè superiori, ut proinde perversio ordinis non possit dici levis, nec possint hujusmodi affectus gravi culpa vacare, etiamsi non oriantur ex displicentia personæ.

208. Ex quibus sequitur 1. quòd si filius mortem Patri expotet, aut de illa gaudeat, vel si gaudeat de patricidio à se in ebrietate commissio ob hereditatem captandam, non solum peccabit mortaliter contra charitatem, sed etiam contra pietatem; quæ dicitur, parentes præ cæteris esse diligendos, illiusque obsequendum; hinc animadvertente *propof. 24. ac 15.* inter damnatas ab eodem Pontifice. Poterit tamen quis gaudere præcisè de emolumento temporali, quod ex morte alicujus provenit, dummodo nullatenus eam desideret, nec de ea audeat.

209. Sequitur 2. licitum esse mortem proximi aperte, vel de ea gaudere ob bo-
num

nam præstantius, verb. gr. ad Dei gloriam, ob bonum spirituale, quod ex illa sequitur, si aliter, non potest illud obtineri, videlicet, ad vitandas ejus, vel aliorum Culpas, ob bonum ingens Reipublicæ, cum ordo charitatis petat, vitam etiam propriam tantis bonis posthaberi.

210. Sequitur 3. licitum esse, optare mortem Turcis, Hæreticis, & aliis hostibus Ecclesiæ, aut Reipublicæ, ne Ecclesia, vel Respublica opprimatur, & divinus Cultus, vel justitiæ æquitas conculcetur, ratio est, quia finis hic est bonum præponderans.

211. Sequitur 4. licitum id esse, etiam si putemus Turcas istos, aut Hæreticos cum temporali morte, etiam æternam esse subituros; etenim quod in eo statu sint, provenit ex propria culpa, & quo intenditur est bonum præponderans, videlicet, non solum quies temporalis Ecclesiæ, & Reipublicæ, sed etiam æterna salus multorum, quæ ab iis persecutoribus plerumque impeditur.

212. Sequitur 5. non posse matrem optare mortem filiæ, aut ex eo quod non possit iuxta proprii status exigentiam nuptui illam tradere, aut ex eo quod à marito contemnatur; quia non habetur in tali casu bonum præponderans.

213. Sequitur 6. peccare graviter omnes (nisi inadvertentia excuset) qui mortem sibi optant ad evadendas leves, & communes hujus vitæ calamitates, ratio est, quia non habetur bonum præponderans: Possimus tamen mortem optare ad evadendas miserius, quæ reddunt vitam morte ama-

riorem, ac deteriolem, aut ne Deum amplius offendamus, aut ne diu exulemus à Patria, dicendo cum *Psalmistâ*: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, & cum Apost. cupio dissolvi & esse cum Christo*; sic enim effulget bonum præponderans.

214. Sequitur ultimo, quod licet laudabile sit velle, quod juxta altissimos Dei fines omnia disponantur, adorando inscrutabilia ejus consilia; non possumus tamen velle mortem proximi cum nostro temporali emolumento connexam etiam si Deus illam velit ob altissimos fines suos, quia hujusmodi affectus conditionati sunt revera peccaminosi, cum practicè magis orientur ex affectu erga emolumentum temporale, & ex odio de vita proximi impediende nobis affecutionem illius boni, quam ex effectum erga divina consilia, quibus omnia ad fines altissimos ordinantur.

D O L O R.

215 **Q**Uæritur. Quenam opiniones excludendæ sint à praxi circa dolorem requisitum ad Sacramentum poenitentiae?

Resp. Cum dolor de peccatis sit pars essentialis Sacramenti poenitentiae, opiniones, quæ circumferuntur circa dolorem requisitum ad hoc Sacramentum; versantur circa valorem Sacramenti; cum Sacramentum sine sua parte essentiali non possit esse validum; ex quibus opinionibus probabilibus illa, quæ negat valorem Sacramenti, pro praxi tutior est, & quæ affirmat, minus tuta.

D U E.